



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

XII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO DVODECIMA.

- Grecæ.* 7. Εἶπε πόσοι μισθοῖοι τῆ πατρὸς μου ᾤειστέ οὐσιν ἀγροῖ-
Vulgata. γὰρ ἢ λιμῶν ἀπόλλυμαι.
Syriaca. 7. Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abun-
dant panibus, ego autem hic fame pereo.
7. Ait, quot nunc, sunt nunc mercenarij in domo Patris
mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereo.

ARGUMENTVM.

- Dicemus* } 1. *Textus noster continet sex genera homi-*
hodie } *num diuersa conditionis, & quacumque*
} *eos conuenientia, & differentia.*
} 2. *Qui homines moraliter significantur.*

A V E.

I.

Textus noster continet sex genera hominum diuer-
sa conditionis, & qua inter eos differen-
tia, & conuenientia.



QU I recto iudicio hoc in negotio ver-
satur, videbit statim in Prodigii nostri
parabola sex hominum genera tangi,
diuersę plane conditionis. Primo enim
de Patre quodam agitur. Homo quidam
duos habuit filios. Deinde de duobus filiis.
habuit duos filios. Tertio de eius mercenariis, quanti
mercenarij in domo patris. Quarto de seruis, aut pater ad
seruos. Quinto de ciue Prodigii domino, adhasit vni
ciuium regionis illius & misit eum in villam suam ut
pasceret porcos. Sexto de meretricibus, postquam filius
tuus hic quid deuorauit substantiam suam cum meretri-
cibus venit, &c.

Videamus igitur quis pater dicatur, quis filius, quis
seruus, qui mercenarij, & sic de cæteris, ordinemque
hunc sequemur, tam propter narrationis contextum,
quam

quam ut singula singulis, quantum res ferent, componamus. Quantum ad patrem igitur: patres illos appellamus (ut notum) qui filios habent: sed ut diuersimode habentur filij, ita & varij sunt patres. Communiter patres appellantur qui filios procrearunt, vel in vel extra matrimonium, & illi proprie patres. Varro patrē à parte faciēdo semine vult dictum. Sic & prima Trinitatis persona proprie Pater dicitur, quia ab æterno, ex sua substantia Secundam genuit, quem Filium appellamus. Sic & nos patres appellamus, qui nos genuerunt. Secundo pater etiam satis proprie dicitur, qui rem aliquam ex nihilo creauit, aut ex alio transformauit in melius. Sic Deus Pater noster dicitur, quod creauerit nos ex nihilo, vnde etiam apud Paganos perpetuum Deorum Epitheton est pater: *Pater proprie omnium Deorum est Epitheton* dicit Seruius. Inde & nos, à Christo instituti, dicimus: *Pater noster qui es in calis*. Et Moses ratione creationis Deum dicit pro patre habendum, *nunquid non ipse est pater tuus qui creauit te?*

Varro lib.
4. de ling.
Latina.

Et nos librorum à nobis compositorum patres, ac illos partus nostros appellamus, *libri quasi liberi*: quia à nobis facti, & ficti; & libri nostri quasi fratres inter se dici possunt, tanquam ex eodem cerebro nati, ut Minerua ex Ioue. Videte cur homo omnium pene seculorum ingeniosissimus, ita de se ac libris suis loquatur.

(sc.)

Adspicies illic positos ex ordine fratres (libros meos

Quos studium cunctos enigilauit idem.

Deq; tribus moneo, si qua est tibi cura parentis,
mei Authoris tui.

Ne quemquam (quamuis ipse docebit) ames.

Ouid. lib. i. Trist. Eleg. i. ex altera parte.

Sic ego non meritos, mecum peritura, libellos,

Imposui rapidis viscera nostra rogis.

Idem i. Trist. Et,

Orba parente suo quicumq; volumina cernis.

Pater etiam dicitur, qui ex sacerdote Episcopus, ex
etiam Senator factus est.

Pater

Pater etiam (aut saltem pro patre habetur) cui legitima vxor filios tribuit, etsi reuera eos non genuit, iuxta regulam iuris *Pater est quem nuptia designant.* Si enim eos tantum dicamus patres quinos genuerunt, semper incerti erimus quem patrem appellare debeamus: nam iuxta Homerum, Nemo de patre certus est, ne ipse quidem Augustus Imperator.

Homer. Odyss. li. i.

Illo me genitum dixit pia mater, at ipse,

Nescio. Nam proprium certus scit nemo parentem

Manet etiam hodie vulgi iocus, quo dicitur, sapientem esse filium, qui patrem suum norit, ut Erasmus refert in explicatione adagij, matris ut capra dicitur. Imo & sapiens nonnunquam qui nouerit matrem, cum & inueniantur supposititij. Lex igitur præcipit, ut filius matris suæ maritum patrem appellet, cui scilicet à matre traditus: & hoc tam in patris quam in matris gratiam. Non enim pater habendus est facile impotens, aut vxoris adulterio consentiens; nec mater temere suspecta adulterij, aut suppositi partus. Pater etiam appellatur, qui filium alterius adoptauit, habetque pro suo & successore & hærede, &c. Sic Ioseph Domini nostri dictus est pater, ac B. Virgo confidenter eo nomine ipsum nominauit, Ego & pater tuus dolentes quarebamus te.

Pater etiam, qui etsi vitam non dedit, seruauit tamen vel consilio, vel armis, vel medicinis, vel lingua, vel calamo, vel morte sua. Sic Codrus Atheniensium, Camillus Romanorum, Christus Iesus Christianorum pater est. Pater etiam qui me patere ut filium gubernat, æquum bonorum partem tribuit, rãquam hereditatem filio. Sic olim Romulus patres appellauit Senatores, quibus nascentis Romæ curam mandauit, non tantum quia ætate prouecti, sed præcipue quia aduigilare & curare debebant Rempublicam, ut filios pater: vnde postea semper illis hoc nomen mansit, ut nimirum officij & clementiæ reminiscerentur.

Seneca lib. i. de Clementia.] *Videatur ubi latius expli*

applicat, cur Principem patrem patria appellemus.

Pater etiam est, qui nobis principia doctrinae tra-
hit, siue bonae siue malae. Sic S. Paulus auditores suos
pedagogos multos habere posse dicit, *nō multos patres;*
nam in Christo per Euangelium vos genui. Secundum hoc
nec nos, nec alij, iuste Patrū nomen habere possumus:
(dicō in partibus vbi Christianam religionem multo
ante nos videmus receptam) optime tamen eo gaude-
mus nomine, si Euangelium, vbi Christus auditus non
est, primi plantemus, aut vbi iam diu plane extinctum
est, resuscitemus. Ecce varij generis patres. Hic tamen
nostri Prodigi pater non singulis hisce nominibus
pater appellatur, sed solum quod genuisset, ac bene
instituisset filium, & quod eum paterne amaret, serua-
retque vitam, recipiens in gratiam, cum moreretur fa-
me. *Ego autem hic fame pereō.* Descendamus ad filios:
Filios appellamus proprie, qui patrem aliquem agno-
scent, ac essendi principium; horum totidem genera
inueniuntur, quot patrum. Nam, iuxta philosophos,
in modis dicitur vnum relocatorum, quot modis & alterū.

Herus seu *Dominus* est, qui seruos habet, & res pro-
prias, de quibus iuxta leges potest libere disponere.
Quilibet Rex & Dominus est in aedibus suis, dicebat
villicus Regem tractans ignotum. Antiquitus nomen
hoc admodum fuit odiosum, quia summum signifi-
cat, cumque qui absolutam in alium habet potesta-
tem: vnde etiam quidam modestiores gentilium Im-
peratores nomine illo abstinuerunt.

*Seruus est, qui vi subactus, Domino obedit. Seruus
est Domini seruus.*

Seruus mancipium est, captus seruatusque in bello.
Mancipium, aut qui mancipio natus, aut ex seruo bel-
lo capto, aut qui nimia paupertate in seruitutem ven-
ditus, aut qui iuris via propter scelera triremibus mā-
cipatus, praefecto traditur pro tenui seruiturus victu,
ac veste: quales sunt qui modo damnantur ad trire-
mes, donec *manumittantur* ac restituantur libertati,
vel benignitate dominorum, vel iuris moderatione,
vel bello reasserti, ac à fortiore abducti, aut venditi,
& pra-

& præfenti pecunia recuperati, aut permutatione captiuorum dimissi, vel aliter, homines adeo miseri, vt non secus ac bestias laboribus & oneribus Domini eos grauent, habentes in ipsos *ius vite & necis*: occidendi ad arbitrium, vendendi, donandi, elocandi, mutuandi, prout videbatur: numellis, stigmatibus vendendi, trahendi ad furcam, vnde & *furciferi*, imo & agendi in crucem, si essent commeriti. Miserrimi homines. Tales multi ex Christianis fratribus nostris hodie inter Turcas, ac (iuxta prognosticationem meam, quam feci, fundatam super influentias nostrarum discordiarum, & cruentissima Christianorum bella) ex posteris nostris etiam fient breui plures. Interim etiam nos incurij, nec pedem pene mouemus, vt illuc transferamus bella, tam vt ipsi recuperentur, quam vt Christianismi, quod superest modicum, secure ac in tuto agat. Ah nos crudeles, in fratres nostros! Ah, quod modo præfens non sum vbi omnium horum malorum auctores agunt, vbi aliquando detonare spero, quæ

Vide nostrum multo tempore concepi! O quod animum meum non habeant, meosque hac de re conceptus, qui me alioquin prudentia & eruditione aliis in rebus superant, ac in locis tali orationi accommodis concionantur, vt libere debuccinēt, quod rei necessitas exigat, si charitatem sanam saluamque velimus in Deum, in Ecclesiam, in fratres nostros Christianos, in nos ipsos, in Rempubicam, in vitam, in bona, & libertatem nostram. *Mementote, mementote vincitorum, tanquam simul vincētis.* Sed transeamus: non enim hic proprius planctui meo est locus. Serui autem ac mancipia hæc, vt plurimum male audiebant, à fraudibus, à perfidia in heros, quod filios fere magis quam parentes amarent, duri ad imperia, seruietes ad oculum, & nihil prope agentes boni, nisi perpetuo incurfarentur fustibus: non magis quam a fini cessante flagro. Vnde & dicta: *seruilia ingenia, timor seruilis.*

Mercenarij, operarij sunt qui non tam artes suas quam laborem locant, pretio ac mercede seruiunt, tantum obligati, quantum soluitur: ex diametro iis

oppo-

oppositi, quos Latini *volones* aut *voluntarios* appellant. Qui quicquid agunt, gratis agunt, sine præmij spe. Sic & mercenarij dicuntur pastores, quorum oves non sunt propriæ, sed pretio eas pascunt, & custodiunt: sic etiam mercenarij sunt stipendiarij milites, qui non diutius arma gestant, quam stipendia soluuntur. Nihil æris, nihil seruitij, aiunt communiter: ac de talibus loquitur hic noster Prodigus, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus*. Veniamus tandem ad extremam, & miserrimam omnium sub Sole conditionem; utpote infamem, flagitiosam, idque voluntarie. Non enim ex communi seruorum genere sunt, inter quos nonnunquam bonos inuenias Reges, bonos Philosophos, ut Platonem, Diogenem, Epictetum: meretrices dico. Videamus aliquantisper quale hominum genus Prodigus frater designarit, dicens fratrem suum omnia decoxisse cum *meretricibus*. Dicere voluit puellas, aut prostituti pudoris fœminas, quæ Italico nomine Cortisanæ dicuntur, non honestiores ac istæ (si tamen vlla honestas in vilo scorto) quæ non nisi vni & alteri secreto sui copiam faciunt, non lucri spe, sed incontinentia (inter quas numerari potuit Magdalena) sed istæ quæ ut canes promiscue omnes admittunt, & corpore quæstum faciunt, non tam a maiorum amore, quam auaritia & lucri cupiditate, quæ publice & sine verecundia adeo improbam sequi audent militiam. Nam *meretrix à merendo dicta, quod mercede suam exerceat militiam*. Quo respexit ille, qui meretricem parata pecunia ait ad omnia esse paratam:

Stat meretrix certo cuius mercabilis ære,

Et miseras, iusso corpore, querit opes.

Plaut. pron.

Græca fide.

Quamprimum autem nummi, stipendia subtrahuntur; statim ut milites seditionem mouent, & reculant seruitium. *Græca mercantur fide si presente pecunia*. Nonnullæ enim corpus exponunt compulsæ inuincibili pene paupertate, (quas excuso de tanto non de toto) nonnullæ paupertate voluntaria, ac facile superabili, nisi ipsæ vestium ac ciborum luxuria perderent

O omnia.

Plaut. in
Truc.

omnia. *Meretricem ego item esse reor mare ut est, quod res denorat; nec unquam abundat.* Nonnulla ut civitas congerant sicut Flora illa, quæ Romanos instituit hæredes. Hæc scorta illa fuerunt meritoria, quæ Prodigum nostrum depauperarunt. Videte omnes hos diversos status, quorum in contextu dixi mentionem. Qui quamvis inter se, ut audistis, plurimum differant; sibi mutuo tamen correspondet. Sicut Herus ac Dominus, convenit aliquo modo cum patre, nimirum in imperio. Pater filiis imperat, Dominus subditis & servis: sed pater cum suavitate, Dominus cum rigore: ibi amor est, hic timor. Filii, servi, mercenarii, meretrices etiam aliquo modo conveniunt: nam omnes in obedientia vivunt, filii enim amore obediunt, servi terrore, ac metu poenæ, mercenarii argento, meretrices voluptate, aut pretio. Et scorta mercenariorum nomen tam habere possunt quam meretricum: nam & illi, & hæc, nihil nisi mercede faciunt. Sic omnes hi status ad duos reduci possunt, Patris scilicet & Domini, ad imperantem; status filiorum, servorum, mercenariorum, meretricum, ad famulantem. Primis duobus mandare competit, reliquis obsequi. Sed nihil iam ultra de imperantibus dicemus (heri enim satis copiose de istis locuti sumus, ut & alias, & forte postea habebimus occasionem loquendi de patre.) Quantum ad meretrices, quæ sunt in ordine servientium, illas ad propriam ablegabimus regionem, ad finem nostri textus, tanquam ad angulum civitatis, ibi, *dissipavit substantiam suam cum meretricibus*, & hac hora nihil nisi de filiis, mercenariis, & servis, quid significant explicabimus, ac speciatim ostendemus, quibus ille Prodigii planctus conveniat: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus*, si tamen tempus vel hoc permiserit.

II.

Qui homines ibi moraliter significantur.

Cum textus totus parabolicus & allegoricus sit, æquum est parabola inuolucra, cum rem foris satis

fatis considerauerimus tandem detegere, idque accurate, vt qui sub regumentis hisce latet, appareant. Aduertite, incipio detrahere personas. Tres ita personati, tres status sunt, aut potius tria genera ac ordines sub quorum aliquo omnes constituti instigamur, deducimur, allicimur, ad seruitutem & obedientiam mandatorum Dei, inter quos assumpti non deflectimus, nisi forte de bono in melius, sunt enim quasi tres gradus domesticorum Dei, quoru alij boni sunt & tolerabiles, alij meliores, alij optimi. Incipientium, proficientium, perfectorum. Quorum singuli suo intendunt instituto, ob motiua diuersa, & alium atque alium instinctum, ob diuersas quasi considerationes. Incipientes, qui vt tales tolerabiles sunt, adiungunt se huc per timorem (dicemus postea de quo timorem habeant.) Proficientes, meliores primis, huc se conferunt desiderio & spe retributionis (dicemus postea cuius.) Perfecti & optimi, (quales scilicet huc via admittit) huc se conferunt puro Patris ac creatoris sui amore. Primi laruam gerunt seruorum, secundi mercenariorum, tertij filiorum, id est, alij per hos, alij per illos representantur. Sicut in vna familia sub eodem patre, ac eisdem tectis filij inueniuntur, mercenarij, & serui: sic in Dei Ecclesia incipientes, per timorem, proficientes per mercedis spem, perfecti, per sincerum Dei amorem.

Theophilaet. hinc.] *Tres sunt ordines eorum qui saluantur.*

D. Gregor. Theolog. orat. in S. Bapt.] *Eorum qui salutem assequuntur, Tripartitus ordo est, seruorum videlicet, mercenariorum, & filiorum.*

Dio. Carthusianus.] *Hic in bonum accipiuntur mercenarij.*

Sed quæ horum ratio inquiet aliquis, quæ sympathia, quæ conuenientia horum inter se. Magna dilectissimi & multa. Primo. Quod sicut tam filij quam mercenarij ac serui, omnes in eodem versantur negotio, in opere scilicet patrisfamilias. Sic & perfecti, & proficientes, & incipientes, omnes contendunt ad bo-

Eccle. 12.

nam vitam; quod opus maximum est omnium eorum
 quæ Deus à nobis exigit. *Deum time, & mandata eius
 observa: hoc est enim omnis homo. Hebræa quia hoc (sub
 spectat) ad omnem hominem, & in hoc consistit omnium
 hominum perfectio. Vel iuxta versionem Castellionis,
 hoc est omnium hominum. Quid si reddas, huc est omnis
 homo, nam factus est homo ut Deum cognosceret, cogno-
 scendo amaret, dicit S. Augustinus. Ad hoc tam filius te-
 neretur, quam seruus, nihil differt filius à seruo. Secun-
 do quia singuli suum habent particulare obiectum, &
 proprium finem, qui eos ad bene agendum trahat.
 Seruus timorem & verbera, mercenarius mercedem,
 filius patrem & amorem. Tertio quod in singulis hisce
 statibus boni inueniantur & mali, qui in fine à suis te-
 probantur Dominis, & à Deo damnantur. Filios bo-
 nos & malos, bonos Iacobos, malos Esau; Absolones
 promptos manu, Salomones pacificos; bonos Saules,
 bonos Iudas, bonos dico pro tempore secundum iu-
 stitiam presentem; malos Saules, nequam Iudas, sceler-
 atos ac reprobatos, secundum iniustitiam finalem.
 Bonos seruos, & malos; boni ut is qui talenta multi-
 plicabat. *Serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis,
 supra multa te constituam;* Mali, ut is qui talentum de-
 fodiebat, ut is qui obtenra à Rege decem millium ta-
 lentorum cōdonatione propter vnum verbulum, pec-
 cavi, centum denarios remittere noluit conseruo: sed*

Matth. 18.

obtorro eum rapiens collo, coniecit in carcerem do-
 nec solueret nouissimum quadrantem. *Serue nequam,*
 aiebat Rex, cum hominis didicisset insolentiam. Sic
 mali neophyti ac nouitij in Christianismo, & religio-
 ne. Sic boni mercenarij, & mali: boni qui fideliter o-
 perantur, & mercede sua digni sunt, non ad oculum
seruientes, seduli dum adest, pigri dum abest. Nihil he-
 ro suo suffarantur, sed mercede optime contenti vi-
 uunt; non sollicitant Herarum ac filiarum pudicitia,
 qualis fuit Ioseph, Putipharo, vel Iacob auunculo suo
 Laban. Nequam *seruiunt tantum ad oculum,* deserunt
 oues lupo veniente; *Mercenarius, & qui non est pastor,
 videt lupum venientem & fugit, &c.* Qui Dominarum
 suarum

Ioan. 10.

suarum castitati infidiantur, vt olim Gyges pastor Regis Lydię, qui incantatorio adiutus annulo, Reginam violauit, ac tandem ea indulgente Herum suum Regem occidit. Proficientium etiam in Ecclesia Dei, alij bonę, alij malę notę sunt. Malę (inquit S. Bonauentura) qui Deo principaliter seruiunt, amore & spe temporalium. Pręlati, & illi qui officia arripiunt, pręcipue ad reditus, quęstumque intenti, vel ad honores & magnificentiam, vel ad commoda, non ad animę suę & ouium salutem; lanam non agnos amant, lac non vaccam, pullum propter oua, vineam propter vna, & musta; populum ob prędam. *Vbi populus ibi pręda, prędam sequitur turba ista, non hominem*: Non se de pro Ecclesia & Dei timore surgerent, non manum ad benedictionem & signum crucis leuarent, nisi pro Domina de S. Cruce (vt vulgo nostro vitio dicunt) *manus, lingua, cantus, aqua, cruces, clauis quorũdam, nimis' probolor) mercenaria*. Malę notę etiam sunt, qui verbum Dei ad lucrum tractant, & *quęstum existimant pietatem*, vt inquit Apostolus: docetes quidem eadem quę Apostolus, alia tamen plane intentione.

Cic. lib. 3. Offic.
D. Bonau. in 3. dist. 27. art. 2. quęst. 2.

D. Augustin. lib. 2. Euang. quęst.] *Sunt ij qui annuntiant Euangelium non caste, existimantes quęstum esse pietatem, vt dicitur Philip. 2. Idem quod Apostolus, sed alio animo annuntiantes.*

Contra quos dicit Dominus apud Malachiam: *Malach. 1. Quis in vobis est, qui claudat ostia mea, & incendat altare meum gratuito? Et apud Micheam: Principes eius in muneribus iudicabant: & Sacerdotes eius in mercede docebant; & Propheta eius in pecunia diuinabant.*

Michaa 3.

Item illi, qui seipfos prędicant, vt suspiciantur, monstrentur digitis, honorętur, vt vanus Demosthenes cui iucundissima erat muliercularum vox, quę lotum & aquatum ibant, dicentes inter se: *hic est ille Demosthenes*. Sic & multi Philosophi, qui omnia agebant & dicebant ad gloriam, quos iure Diogenes *animalia gloria* appellabat. Viuentes ex gloria, sicut Chameleon ex aura.

Cic. Tusc.

Ouid. lib.

Id quoq; quod ventis animal nutritur & aura.

51.

O 3 Nec

Nec cogitant illud Dauidis, quoniam gloria virtutum
eorum tu es Domine.

Item illi qui ieiunant, orant, eleemosynas aliaque
bona opera faciunt, vel solum aut precipue vt lauda-
tur ac videantur ab hominibus: quales olim Pharisei
adeo vt extra conspectum non cessarent tantum à bo-
no, sed & contraria amplexarentur vitia.

Seneca Ep. 114.] *Qui virtutem suam publicari vult,
non virtuti laborat, sed gloria;* ideo Iuis dicebat Chri-
stus:

Matth. 6.] *Attendite ne iustitiam vestram faciat ius-
tam hominibus, vt videamini ab eis. Cum ieiunatis vili-
te sicut hypocritae, fieri tristes: exterminant enim facies
suas, vt appareant hominibus ieiunantes.*

Matth. 7.] *Cum facis eleemosynam nesciat sinistra
tua quid faciat dextra tua.*

Ibid.] *Cum oraris, non eris sicut hypocrita, qui amat
in Synagoga, & in angulis platearum orare, vt videantur
ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem
suam. Sed cum orare volueris, intra in cubiculum, &
claude ostium, & ora patrem in abscondito, & pater
noster qui videt in abscondito exaudiet vos. Oratores
igitur illi & precatores publicani, ad gloriam mundi,
vere mercenarij sunt, quærentes pro mercede exalti-
mationem hominum.*

Religiosus autem, qui non intrat religionem nisi
propter monasterij commoda, Canonicus qui nun-
quam in choro est, nisi quando sunt distributiones,
nonne etiam reuera mercenarij sunt, sed male nota.
Ac illi qui sua largiuntur pauperibus (vt faciebant o-
lim Romani prensitationibus, & ambitu; suffragia ad
consulatum aut magistratum mercantes à populo) vt
ad pinguiorem & sublimiorem gradum ascendant,
quæ sita tali liberalitate falsa opinione, quod plura da-
rent si facultates ferrent, facta iam spe fidelis dispen-
sationis patrimonij crucifixi, ac erogationis sacre pe-
cuniæ, ouum pro boue. Bonine mercenarij sunt qui
seruiunt, ac humiliant se, vt regnent? & incuruant se vt
surgat, nõ dediti virtutibus ex amore Dei, ex pulchri-
tudine

ordine virtutis, non ob conscientia quæ inde consequetur munditiam & tranquillitatem.

Ipsa quidem virtus sibi met pulcherrima merces. Sil. Ital. lib.

Sed solum, aut principaliter ut venentur honores, 13.

aucupentur officia, bellis istis rebus ac decipulis: capta vero præda complicant & deponunt rebus: quasi dicentes, *Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem & gloriam tuam.* Ideo nimirum apparui sanctulus. Nunquamne audistis exemplum cuiusdam, qui antequam ad magnum, quem venabatur, promotus esset gradum, mensas suas rebus operiebat loco mapparum elaboratarum, consecutus vero quod quarebat, mensas exinde tenuissimo sternebat filo, & mappis exquisitissimis Rogatus quid ita mutaret, feta, inquit, capta est, non habent ultra usum prima rebus. Ac alio (forte fuerit idem) qui cum ante promotionem pane vicitasset & aqua, dicens *aqua panis, vita carnis:* promotus mutavit mensam, responditque facere admittenti quod austeritatem in delicias verteret, subtracta tantum de priori simbolo vna littera: *Aqua panis, vita carnis.* Et alio, quam diu inter exiles & numero quasi erat, contra omnium ordinum vitia, voce tonabat Hercules; promotus autem ad dignitatem, intermisit clamorem, & leniuit plurimum sermonum acrimoniam: mirate quodam quod ita motus, aut saltem tepidus lentusque iam esset, torpidus plane in declamationibus; prophanata scriptura, respondit: *cum essem paruulus loquebar ut paruulus, cum autem factus sum vir euacuavi que erant paruuli.* O fraudes dolosque malorum mercenariorum!

Guiliel. Pempinus.

Boni contra mercenarij sunt, qui virtutis pulchritudinem sectantur, qui pauperibus propter Deum, aut nature communionem subueniunt; qui in choros & monasterijs salutem quærunt; qui orant, ieiunant, ac bonum faciunt ut soli Deo se commendent, & proximum ædificent; qui Dei mysteria prædicant, ut regem domini pascant; qui dicere possunt cum S. Paulo: *Non quero vestra sed vos. & alibi. Argentum & aurum, Act. 20.*

aut vestem nullius concupiui sicut ipsi scitis. Et cum Rege Genes. 4.

Sodo morum, ad Abraham: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Ut ego animas recuperem, hoc mihi latet, reliquam prædam ferant qui volunt, qui possunt. Ecce cum Samuele abdicante potestatem iudicariam. *Loquimini de me coram Domino & coram Christo eius, vni bouem cuiusquam tulerim, aut asinum. si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contempnam illud hodie restituumque vobis.*

1. Reg. 12.

D. Bonau.
in 3. dist.
27. art. 2. q.
2.

Ecce optimæ notæ mercenarios, qui pascunt oves, & sobrie lacte & lana eorum vtuntur: seruiunt altari, & de altari viuunt, sancte, & temperanter. Bonæ denique notæ illi sunt, qui primario non propter salaria, sed propter ipsum Deum, Deo seruiunt, quia se summe bonus, & amabilis est; secundario autem propter mercedem æternam, inquit S. Bonaventura.

Sed quos intelligemus per seruos. Qui Deo non seruiunt, nec à malo abstinēt, nisi terrore Diuini iudicij, pœnarum temporalium aut æternarum, damni temporalis, vt confiscationis aut priuationis bonorum, tormentorum, fustium, virgarum, crucium, mortis, flammæ, & inferni.

Theophilactus hîc.] *Serui faciunt bonum, timentes iudicium; quod & David insinuat, dicens: confite timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.*

Et quid per mercenarios ita affatim copioseque pastos? eos intelligimus qui desiderio ac spe retributionis boni sunt, ac Deo seruiunt.

D. Ambros. hîc.] *Mercenarij qui sunt, nisi qui ad mercedem seruiunt?*

Theophil.] *Mercenarij esse videntur qui desiderio bonorum bene placere Deo cupiunt.*

D. Gregor. lib. 8. moral. c. 6. & 7. & 12. mora. c. 2.] *Mercenarius in alienis quidem laboribus exsudat, sed tamen sibi proprium præmium preparat.*

R. P. F. Hér.

Harpheus

lib. de Theo

lo: mysti-

ca cap. 17.

Sed bene notandum ex Henrico Harphio, nostri ordinis Theologo eum primis magno & contemptiuo; tria esse quæ hominem faciant mercenarium Deo contemptum. Primo se suumque commodum in omni

in omni re querere, vt gratiam aliquam crassam, pinguem, sensibilem, deuotionem, gloriam, vel effugere ac declinare proprium damnum, & interesse, vt detrimenta temporalia, confusiones, pœnas, læsiones, purgatoria, & similia: inueniuntur enim nonnulli, quibus nihil graue, nec religionem aut pœnitentiam suscipere durum, non omnia ferre aduersa, vt æternam vitam habeant, aut æternas flammæ euadant; qui tamen nec in gratia sunt, nec Deum amant. Tale quid enim Platonis quidam discipulus præstitit, qui cum magistrum multa de futura fœlicitate post hanc vitam disputantem audisset, cupiditate accensus se de alto præcipitauit, fregitque ceruicem vt illuc pertingeret; damnatus tamen fuit tam ipse quam Plato, quia caruerunt fide.

Tales Iudæi, & hæretici, qui mortem libentes obtinent pro sua persuasione, & vita æterna. Secundo: cum quis opera & exercitia sua magni facit, ac in iis sibi magis quam in Deo complacet, & quando cum hac confidentia magis quis in operibus suis ac virtutibus acquiescit, quam in filiorum Dei libertate, quos dulcissimus noster seruator benignissime pretioso suo sanguine redemit.

Tertio. Quando quis Deo fideliter non seruiret, nisi speraret bonam remunerationem, aut si sciret, nec infernum, nec purgatorium, nec iudicium futurum: quia nimirum talis magis ista metuere videtur quam offensam Dei. *Non peccatum ille timet, sed infernum, non culpas, sed pœnas.* Tales homines vere mercenarij, indigni sunt qui vitam æternam & partem habeant in gloria Dei: non enim innoxij sunt sed timidi.

Pub. Mim. apud Senecam.] *Pleriq; metu peccare cessant, non innocentia. Profecto tales timidi, non innocentes, dicendi sunt.*

Sed per filios quos intelligemus? qui Deo ex amore & sincero affectu obediunt.

Theophylactus hîc.] *Filij sunt, qui propter amorem in Deum, mandata perficiunt.*

D. Ambros. h̄ic.] *At vero filius qui habet S. Spiritus pignus in corde, secularis mercedis lucella non quarit, qui eius seruat heredis.*

D. Gregor. Theol. orat. in S. Baptisma.] *Enim cum eorum qui salutem assequuntur, tripartitus ordo servorum videlicet, mercenariorum & filiorum: una compara, ut si servus sis plagas eximescas: si mercenarius id unum spectes, ut mercedem accipias; si autem iis sublimiorem locum teneas, atque in filiorum ordine censearis, Deum ut patrem verere, honorum operum studio incumbere quia bonum est patri morem gerere, etiam si ex ea re nihil questus ad te rediturum sit, hoc ipsum merces est patri placere atque inservire: qua tria vitiam non contemnimus.*

*D. Bern. lib.
de diligendo
Deum.*

S. Bernardus mellita ut semper oratione, pulcherrime tria hęc subditorum Dei genera depingit, ut sequitur. Sunt qui Deum laudant quia potens est, sunt qui laudant quia bonus ipsis est; sunt etiam qui laudant, quia simpliciter & in se bonus est. Primi servi sunt, & pelli metuunt; Secundi mercenarij, & sua quarunt; Tertij filij, & honorant patrem. Qui timent igitur & sua quarunt, laborant quidem, sed pro se, studentque sibi. Sola charitas, quę in filiis invenitur, suum non quarit. Ita dulcissime S. Bernardus. Alter Deum non amat, alter amat; sed aliud etiam plus quã Deum. Servus legi subditus, servili spiritu, in timore; filius promulgata lege, in spiritus libertate, ac suavitate. *Servus peccare non timet, sed ardere* (inquit bonus quidam pater.) *Timor Domini expellit peccatum; (tam futurum quam prateritum) hoc pœnitendo scilicet, illud obfistendo.*

Filius ardere non timet, sed offendere quietem patris. Mercenarius timet nihil lucrari, filius displicere patri, terribilius ac execrabilius omni inferno existimans voluntarie Omnipotentem offendere; maxime propter nugas, propter mūdi quisquilias. Servus quasi sponsa impudica & scelerata, corde mechatur, nec tamen alium admittit quam maritum ne male multetur, ne vapulet, ne repudietur. *Licet omnia claudas,*

Omnibus exclusis intus adulter eris.

Vt iam seruaris bene corpus adultera mens est.

Mercenarius Laidi aut concubinæ similis est: quæ si non amet, amorem tamen præfert; id est, stultis patet Aristippi desiderii, vt drachmas mille emungat. Filius castæ Sufannæ similis, aut gloriosæ Lucretiæ, aliisque matronis honestis; quæ corde ac corpore castitatem seruât, tam absentes quam præsentis, ne Tri-
cipitinos, vel maritos suos, quos toto mundo & vita magis diligunt contristent. Et quilibet horum trium diuerso sermone vtitur. Seruus dicit: *Cõfuge timore tuo Psal. 116.*
tuas meas, à iudiciis enim tuis timui: feci iudicium & iustitiam.

Domine à timore tuo concepimus & parturiuimus spiritum salutis. Isaia.

Serui subditi estote, in omni timore Dominis. I. Pet. 2.

Mercenarius dicit. *Inclinavi cor meum ad iustificationes tuas faciendas in æternum, propter retributionem. Psal. 118.*

In sancto apparui tibi vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

Filius alia plane voce vtitur. *Quomodo dilexi legem tuam Domine tota die meditatio mea est. Psal. 118.*

Leuaui manus meas ad mandata tua qua dilexi.

Nesciebatis, quia in his, qua patris mei sunt, oportet me esse? Quid enim mihi est in celo & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.

Dilectus meus mihi, & ego illi.

Cant.

Tu scis Domine, quia amo te.

Nullam mercedem nisi te Domine: (aiebat Angelicus Doctor D. Thomas.)

Seruus incipit & catechumeno similis est, vel scolaris, vel nouitio Christi. Mercenarius proficit, quasi iã baptizatus, ac professus religionem Christianã. Filius magisterium attingit, & professionẽ instituit docendi ac perficiendi etiam alios. Seruus naturam sequitur, mercenarius rationẽ, filius gratiam & adoptionẽ. Et quamuis tria hæc nomina & discrimina tres diuersos constituunt status, ac tres personas, nihil tamẽ obstat, quominus omnes tres in vno simul inueniantur, vt idem

Iob. 7.

idem diuerso respectu filius fit, seruus & mercenarius: filius propter creationem, seruus voluntarius auctiuoluntarius propter seruitutem, (*Quoniam omnia seruiunt tibi, fata volentem ducunt, nolentem trahunt.*) Mercenarius propter militiam & stipendia. *Militia est vita hominis super terram.* Quamuis enim pia anima pro mercede ex sua parte nihil faciat; nihilominus tamen præmium ipsi a Deo promittitur, monstratur, exhibetur, & tandem recipitur: sed non mercenarij. *Erit merces operi tuo: & ego ero merces tua magna nimis.* Tres hi gradus in quolibet perfecto homine inesse debent. Timor scilicet seruorum, cupiditas mercenariorum, charitas filiorum. Timor dico, sed iam distillatus ac sublimatus in filialem, plenus reuerentia & deuotione, qui pœnam non habet: cupiditas sed purgata, beneque ordinata; quæ meliora bonis preferat, nec bona appetit nisi vt meliora consequatur, siue ad vsum ea concessa sint, siue ad fruitionem & gaudium. Beati Christiani qui fide dotati, & gratia, filij Dei sunt & nominantur, qui bona faciunt opera ex charitate, quæ fidem animat; fideliter Deo seruientes, spem habentes firmam vitæ æternæ, atque ita iuxta S. Gregorij sententiam, boni fiunt mercenarij.

D. Gregor. lib. 8. moral. c. 6. 7. & 12. moral. c. 2. *Omnes qui spe celestium præditi, exercitio vitæ præsentis atterimur, in alieno laboramus: sed tamen præmia nostrâ percipimus, & per hoc peruenimus ad propria, quod præministramus aliena. Et vt mercenarius sollicitus curat, ne unquam dies vacuus ab opere labatur: & expectatus finis temporis, ne inanis veniat ad remunerationem: ita electi quando fidentius spe tendunt ad præmium, tãto nunc robustius perdurant ad laboris incrementum & cum grauiâ esse, quibus exercentur, pensant ex comparatione præmij quam sit leue quod patiuntur inueniunt.*

Deus meus & pater æternæ, hanc mihi facias gratiam obsecro te per passionem durissimam dilectissimi filij tui, vt tandem inter filios tuos & perfectos annumerer, atque vt eo perueniam, da vt te timere incipiam, sicut seruus Herum ac Dominum meum. Si t

adhu

Alhuc debite vt filius bonum patrem non reuereor, & bonus magis proficiam mercenarius, da vt semper ante oculos meos gloriae tuae corona volitet, quam strenue laborantibus promifisti, vt sedulo ac fortiter quae mihi mandata sunt exequat, & per gratiam tuam praemia aeterna consequat Amen.

CONCIO XIII.

Ἐἶπὲ πόσοι μὲν οἱ τοῦ πατρὸς μου οὐκοῦν ἐσὶν ἀρτων, ἐγὼ δὲ λιμῶν δάπνυμαι.

Grecæ.
Vulgata.
Syriaca.

7. Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor.

7. Ait, quot sunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereor.

ARGUMENTVM.

- 1. Hominem non duci nisi premiis, ac pœnis; ideo hæc duo semper esse necessaria.
- 2. Deus nobis pœnas & premia proposuit.
- 3. Vtrum sufficiat ad salutem aeternam & premium consequendum, bene viuere.

A V E.

I.

Hominem non duci nisi premiis, ac pœnis; ideo hæc duo semper esse necessaria.



ERTVM est dilectissimi, hominiq; proprium, vt nūquam vel raro quicquam pulchrum, arduum, difficile aggrediat (qualia sunt virtutum exercitia) nihil criminis, nihil sceleris oderit, (qualia sunt vitiorum opera) nisi præmiorum aut pœnarum metu: non facile homo frænari se finit, impelliq; ad cursum, nec facile clausam arenam circumque ingreditur, vt ibi sanguinem aquamque desudet, nisi præmia primum conspexerit, & brauium suspen-